



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Impius Infelix**

**Texier, Claude**

**Augustae Vindelicorum [u.a.], 1695**

Permanentem & acceptissimam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45950)

possideat libertatem. Ista libertas, secundo, est constans & perseverans; deperdere ipsam nequit; conservat eam in medio carcerum, inter catenas & vincula. Ratio hujus est aperta, quod illa non sit extrinseca homini, sed in fundo animæ sita; consistit in possessione gratiæ, quæ homini invito nullatenus potest subtrahi. In probationem assertionis nostræ adducit S. Ambrosius Josephum, quem malitiâ fratrum suorum venditum in Ægyptum, etsi David servum pronuntiet: *In servum venundatus est Joseph,* servus Psal. 104. 17. tamen reverà non fuit. Corpus quidem innocentis multo gravabatur ferro, nihilominus anima semper remansit liberrima: *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, sed non animam ejus.* Quomodo enim, inquit Mediolamensis Antistes, dicatur servus, qui oraculi instar consulebatur à Regibus Ægypti; *quomodo hic servus, qui erudit principes populi, & universum Ægypti populum in servitutem redegit?* S. Joannes Baptistæ apparenter quidem succubuit victima crudelitati Herodianæ, à quâ in ergastulo tenebatur mancipatus: de illo tamen æquè; ac universim de sanctis Martyribus istud Tertulliani axioma verificatur: *Etsi corpus includatur, omnia Spiritus patent, nihil cruc sensit in nervo, dum animus est in cælo,* corpus quantumvis sit vincularum, spiritus fruitur libertate.

Tertiò, quemadmodum hæc justæ libertas est vera & permanens, ita pariter suavitati & dulcedini est sociata, eoquòd consistat in pace interna animæ, cujus dulcedini nihil in mundo comparari potest; *Pax Dei,* expertus loquitur D. Paulus, *quæ exsuperat omnem sensum.* Veri Dei Philp. 4. 7. servi constituunt populum cum millies beatum, cujus apud Deum meminit: *sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in requie opulenta.* Isa. 32. 18.